

infans sacco coriaceo inclusus aquæ intingeretur, & corio tantum madefacto corpus ab aquis intactum relinqueretur, (qualem baptismum, ut obiter hoc addamus, Molinæus aliquando Aureliæ peregrisse dicitur, qui infantis tantum fascias aqua adpersisse ex Cudsemii fide perhibetur,) ideoque aliud pro ejusmodi infantibus remedium quærentes in hoc casu matres ad uteri sectionem permittendam obligant, sive boni eventus spes affulgeat, sive hoc sectionis remedium vel matri vel fœtui certum interitum minetur. Nul- lum enim baptismi supplementum per votum hic locum habere tradunt, neque parentum precibus hic aliquid tribui posse judicant, obstante peremptoria Christi sententia, qua viam ad gloriam præcludi & salutem desperatam fieri dicunt, undecunque defectus medii ad gratiam præcise necessarii provenerit. Nec defuerunt, qui infantes jam natos vel aqua mortifera & venenata, si alia deesset, in morbi periculo baptizari, quam sine baptismo mori maluerunt. Nonnulli etiam infantes in agone constitutos, si aqua illico afferri non posset, accelerandi baptismi causa in puteos & fontes projecerunt. o)

o) *Varias Scholasticorum de his questionibus sententias refert Raynaud. in tract. de sectione Casarea Tom. XIV. Operum pag. 566. et seq.*

§. XXVII.

Et ad hæc aliaque hujusmodi desperata remedia omnes illos nulla alia ratio impulit, quam quod infantes ex aqua & Spiritu non renatos regnum Dei intrare non posse sibi persuaderent. Unde ejusmodi infantes ad beatam Dei visionem minime admitti censuerunt, etsi de infantium hujusmodi statu convenire inter se non potuerint, dum alii infantes ante baptismum extinctos æternis ignibus addicunt, alii eos a doloribus ignis & vermibus immunes tantum ob defectum beatæ visionis graviter angere statuunt, alii eos ab omni dolore liberos naturali quadam beatitudine frui somniant,